

421

419

425

415

430

410

470

370

320

Ende

Anfang

406

intellectus beatiae Virginis fuit mundissimus a phantasiis inutilibus; ideo peregrinando merebatur. Secunda ratio: ubicumque ratio non potest in discernendo errare, et voluntas non potest eligere multa, sed eligit ultimum et optimum; utrumque horum fuit in beata Virgine; ideo dicitur Lucae X.: optimam partem elegit sibi Maria etc. Tertio: Apostolus 1. Cor. X. dicit: sive (B) manducatis sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Hoc absolute nullus Sanctus servare potuit, nisi beatissima Virgo Maria, quae omnibus liberi arbitrii motibus virtuose semper imperavit et meruit. Unde Odilio dicit: Unum pro certo scimus, quod omnis Mariae actio semper fuit intenta in Domino. Unde Jeronymus in sermone de assumptione dicit: puto quidquid cordis est, quidquid virtutis humanae, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitatio valeat, quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris, quantum movebatur replere Spiritu sancto coelestium secretorum incitamentis, dum revolverat animo cuncta, quae audierat, quae viderat, quae cognoverat. Ex quibus patet, quod meritum beatissimae Virginis Mariae est inexplicabile, quod in peregrinatione sua conquisivit. Sed videtur, quod beatissima Virgo Maria peregrinando de loco ad locum, quamvis opus virtute exegerit, melioribus tamen exercitiis occupari potuerit, imo debuerit. Cum Apostolus dicat 1. Cor. 12.: animarum charismata meliora. Et 1. Tim. IV.: corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet. Potuit ergo illam corporalem exercitationem dimittere, et se in pietate purae contemplationis et quietis occupare. Notum enim est, quod evagantes corporaliter distrahuntur mentaliter. Ad hoc dicendum, quod beatissima Virgo Maria hoc singulare privilegium habuit, quod simul et simul activam et contemplativam vitam exercebat, quod nulli umquam concessum est. Aliis enim vita activa, aliis contemplativa datur; aliis utrumque, sed alternis vicibus, ut Apostolis. Sed beatissimae Mariae Virgini utraque est data pro eodem momento, ut videlicet infans foris ab ea aleretur, et divinitas intus contemplantaretur; et ut de loco ad locum migraret, et tamen in fine intento immobilis persisteret. Dicunt enim praecones devoti beatae Virginis, quod ipsa in illo

